



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Epistola XX. Alexandri Papae II. Ad Evmdem. Priuilegia monasterio sancti
Dionysii a praedecessoribus contra Parisiensem episcopum concessa
confirmat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

EPISTOLA XX.

ALEXANDRI PAPÆ II.

AD EVMDEM.

Priuilegia monasterio sancti Dionysii a prædecessoribus
contra Parisiensem episcopum concessa
confirmat.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei carissimo fratri Geruasio
Rhemenſi archiepiscopo salutem & apostolicam
benedictionem.*

DE VOTIONI tuæ notum fieri volumus, quod abbas monasterii sancti Dionysii martyris apud nostram audiētiam super episcopo Parisiensi semel & secundo fuerit questus: videlicet quod ipse contra ius priuilegiorum a sanctis & apostolicis viris salubriter eidem monasterio multotiens concessum, contraque Francorum regum & episcoporum ipsius patriæ constitutiones, subripere, sibi que vendicare iam dicti monasterii potestatem attentauebit. Ad quæ nimirum dirimenda ad sedem apostolicam vtrumque venire inuitauimus: ut ibi congregatis ecclesiarum iudicibus huius causam litigii canonice determinaremus. His igitur in sancto Concilio repræsentatis, post longam discussionem, post varias vtriusque partis oppositiones, claruit iustitiam præfato monasterio fauere: nec tot aut tantorum pontificum auctoritati, absque horrendo anathemate, aliquem posse obuiare. Vnde consilio totius sancti Conuentus, quæ a sanctis prædecessoribus nostris sancte sunt instituta firmauimus atque corroborauimus. Rogando itaque fraternitatem tuam admonemus, quatenus, si inuitatus fueris ab abbe vel fratribus eiusdem monasterii, chrisma & oleum & cetera quæ eis ex episcopali officio videntur necessaria, tribuas, ac tuos suffraganeos tribuere præcipias.